



Disputatio juridica inauguralis de usufructu

<https://hdl.handle.net/1874/342815>

4

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
USUFRUCTU,

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnisci Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri , atque in inclita ejusdem Academiâ
Medicinæ Anatomes & Botanices Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicci consenſu & Nobilissime

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, &
Privilegiis ritè consequendis,

Eruditorum examini exponit

GODARDUS WOUDENBERGH , Ultrajectinus.

Ad diem Aprilis horâ locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ
Typographi Ordinarii , M. DC. LXXXV.

D E O
FAUTORIBUS,
A T Q U E
A M I C I S.

Disputationem hanc Inauguralem,

Submissæ Offert

GODARDUS WOUDENBERGH.

AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
USUFRUCTU.

THESSIS I.



Ei præscriptæ tractatum antequam aggrediar, nonnulla de servitutibus in genere præmittere animus est. Vox itaque servitutis, est vox homonyma, sed aliquando sumitur pro servitute prædior: seu reali, & definitur, quod sit jus, quo prædium prædio contra naturam ex utilitate infervit. *tot. tit. de servit.*

Est ergo duplex: alia rerum, alia personarum, cum scil. persona servit personæ, puta servus domino, & est constitutio Jurisgentium, qua quis alieno dominio contra naturam subjicitur *I. 4. §. 1. Dig. de statu homin. §. 1. Inst. de jure personar.* Rerum vero servitus est jus quo res alterius alteri rei, vel personæ utilitatem adserit contra dominii naturam, adeo ut quis in suo aliquid teneatur pati vel non agere *I. 15. princip. & §. 1. Dig. de servit.* Hæc enim servitutum natura est, ut quis quid patiatur vel non faciat *I. 6. §. 2. Dig. si servit. vindic.*

4 DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Servitus realis est , qua servit res rei , diciturque & servitus prædialis , eo quod in realibus servitutibus prædia desiderentur & sine prædiis constitui non possint §. ideo *inst. de servit. l. i. §. i. Dig. comm. præd. tam urban. quam rust.* & nihil aliud est servitus realis , quam jus prædiis inhærens , utilitatem unius adaugens , & alterius diminuens . *l. i. Dig. de servit.*

I I I.

In reali servitute, seu prædiali , duo spectantur prædia , unum dominans , (unde semper fit denominatio) alterum serviens : dominans itaque est , cui præstatur servitus , & serviens , quod præstare debet servitutem *l. 34. Dig. de servit. rustic.* Prædium vel est Urbanum vel rusticum : utrumque res corporalis immobiliis . Urbanum prædium est , omne ædificium habitandi causâ extructum , sive in urbe sive extra urbem . *l. i. Dig. comm. præd. tam urban. quam rust. §. i. Inst. de servit.* Rusticum est , quod rei rusticæ causâ factum est , veluti fructuum pecorumve percipientium & colligendorum , ut stabulum , hortus *l. urbana Dig. de verb. sign.* , quemadmodum igitur prædium vel urbanum est vel rusticum ita & servitus duplex est , urbana vel rustica . Variæ sunt servitutes urbanæ , utpote oneris ferendi , altius non tollendi , ne luminibus officiatur , & immittendi tigni §. i. *Inst. de servit. rust. & urban. præd.* Rusticarum servitutum species sunt , iter , actus , via & aquæ ductus &c. *princip. Inst. de servit. præd. rust.* Quæritur , an ille qui actum habet etiam vehiculi jus habeat , & dicimus etiam vehiculi jus habere , *princ. Inst. de servit. l. i. §. actus l. 7. §. qui actum l. 12. Dig. de servit. præd. rust. l. 12. quemadm. servit. amittit.* Amittuntur servitutes variis modis , ut confusione , rei interitu , non utendo per statutum tempus , 10. annis inter præfentes & 20. inter absentes .

Per-

IV.

Personalis est, cum res aliena personæ alteri servit *l. 3. §. fin.*
Dig. quibus mod. ususfruct. amitt. l. 38. Dig. de servit. rust. & illa
appellatur servitus simpliciter personalis l. 1. Dig. deservit. quia
personæ inservit, & cum personā extinguitur l. 8. §. 3. Dig. de
liberat. legat. Servitutes autem personales sunt, usus, usus-
fructus, & habitatio l. 1. Dig. de servit. Variisque servitus con-
stituitur modis, ut pactionibus & stipulationibus §. ult. Inst. de
servit. pred. rust. & l. 3. infin. Dig. de ususfruct. Judicis auctorita-
te, quando alteri usumfr., alteri proprietatem adjudicat. l. 6. §. 1.
Dig. infin. de ususfr. Sed ne his videamur nimis inhærere, progre-
diemur ad ipsum ususfructum.

V.

Ususfructus itaque est, jus (scil. personale) alienus rebus uten-
di, fruendi, salvâ rerum substanciali. princ. Inst. de ususfr. l. 1. Dig.
b.t. Jus personale, quia definitio ususfr. non potest applicari feu-
do, vel emphyteusi. Reale, respectu rei, quæ debet l. 5. Dig. si ususfr.
per. Verba alienis rebus recte adduntur, quia ususfruct. hic acci-
pitur, ut est à proprietate separatus, quum res sua nemini serviat
l. 5. Dig. si ususfruct. per. l. 1. b.t. l. 34. infin. Dig. deservit. rust.
pred. propriæ enim rei ususfructus considerari non potest, nisi
ususfructus sit causalis, perpetuo proprietatis comes Mysing.
ad tit. Inst. de ususfr. Verbum utendi ad differentiam juris additur,
quod creditor habet in pignorc, ille enim non potest uti re pigno-
ratâ, quia furtum utendo committeret. Mysing. ad dic. tit. §.
furtum 6. Inst. de obligat. que ex delict. nasc. §. fin. 4. Inst. quib. mod.
re contrah. oblig. Additur & fruendi, ut excludatur à nudo usu &
habitatione, quoniam uti minus est quam frui. §. 1. Inst. de usu &
habitat. Potest enim ususfructarius, jus quod habet, locare, ven-
dere, & concedere gratis. Adjungitur denique salva rerum sub-
stantia. Hæc verba ideo adjecta putamus, ut verus ususfructus
distinguatur à quasi ususfr., & per hoc Emphyteutæ similesque

A 3 perso-

6 DISPUTATIO JURIDICA

personæ excluduntur , quibus necesse non est , rerum substan-
tiam salvam servare , Usufructarius vero cogitur satisdare se
usufrum boni viri arbitrio . *l. 1. Dig. usufruct. quemadmod.*
caveat.

V I.

Qui usum habet , minus juris habet quam qui usum fructum.
§. 1. *Inst. De usu & habitat.* Ille uti tantum potest fructibus
ad usum quotidianum sibi suisque necessariis *l. 12. in pr. & §. 1.*
Dig. de usu & habitat. Hic omnes fructus percipit *l. 7. Dig. h. t.*
l. 9. Dig. cod. Usuarius usum suum alteri locare , vendere aut
gratis concedere non potest §. 1. *Inst. de usu & habit.* *l. 11. 12.*
§. 6. *Dig. cod.* si tamen Domus spatiose usus relictus sit , par-
tem ejus alteri locare potest *l. 2. & 4. Dig. de usu & habitat.* *l. 4.*
h. t. Fructuarius vero liberam perceptionem fructuum habet ,
& jus suum seu commoditatem fructus percipiendi alijs gratis po-
tent concedere & vendere &c. *l. 38. h. t. l. 72. Dig. de reg. juris.* Usu-
arius cui relictus est ovium usus , habebit stercorea ad agrum ster-
corandum , lanâ & fætu non potest uti ; lacte tamen modico po-
terit , cum non tamstrictè interpretandæ sint defunctorum ultimæ
voluntates *l. 12. §. 2. Dig. de usu & habit.* Secus in fructuario
qui pleno jure omnesfructus percipit. §.38. *inst. de rer. divis.*

VII.

Sequitur jam usufructus divisio. Et dividitur in verum &
quasi usum fructum. Verus consistit in rebus quæ ipso usu non
consumuntur §. 2. *inst. h. t. & versatur tam circa res mobiles*
quam immobiles , ut fundum & ædes *l. 14. Cod. de usufruct.*
inst. h. t. l. 2. §. 1. & l. 7. Dig. de usufr. ear. rer. que usu consum.
Qua-

INAUGURALES.

7

Quarum usus in abusu consistit, & non restituuntur in specie, sed tantum ingenera aut carum aestimatio l. 7. *Dig. de usfr. car. rer. &c.*
Cujusmodi sunt, oleum, vinum frumentum, & ceterae res quæ numero, pondere vel mensurâ constant. *Zoef. ad tit. de usfr. erar. rer. que usu consum. pr. inst. quibus mod. reconrah. obligat.*

VIII.

Constituitur ususfruct. triplici modo, vel à lege, vel à Judice, vel à Domino. A lege constituitur ususfruct. patri in bonis adventitiis filiisfamilias. §. 1. *inst. per quas person. nob. acq. oblig. l. 2. & 6. Cod. de bonis que liber.* Constituitur & mulieri quæ post annum luctus transiit ad secunda vota, idque in bonis, quæ à priori marito lucrata est, relietâ liberis prioris matrimonii proprietate *l. famina Cod. de secund. nupt.* A Judice, cum Judex uni proprietatem, alteri usumfr. adjudicat l. 6. §. 1. *Dig. de usfr. l. 16. §. 1. Dig. famil. excisun. Perez. ad b. t. num. 2.* A Domino: acquiritur & facto ipsius Domini: modo de re suâ disponendi liberum habeat arbitrium. *Zoef. ad tit. de usfr. n. 7.* Constituitur insuper ultima voluntate, puta testamento §. 1. *inst. b. t. l. 33. 34. Dig. b. t. l. 4. Dig. si usfr. per.* etiam pactionibus & stipulationibus §. 1. *inst. b. t. 3.* Constituitur pure l. 4. *Dig. b. t. Ex die d. l. 4. Dig. quando dies usfr. leg. ced.* Acquiritur & denique præscriptione longi temporis, per quam etiam acquiri usumfr. remanente proprietate penes Dominum habet, *l. finalis in fin. Codi de prescript. longi temp.*

I X.

De ususfructus constitutione dictum satis, videndum ergo quid ordo de ejus effectu postulat. Ususfruct. effectus itaque est, ut fructarius omne commodum & in commodum percipiat l. 7. & 9. *b. t. l. 5. Cod. b. t.* & omnes fructus percipiendo faciat suos l. 62.

Dig.

8 DISPUTATIO JURIDICA

Dig. de usfr. Fructus, tempore quo, ususfructus constituitur, pendentes ad fructuarium pertinent *l. 27. in pr. Dig. b.t.* Pendentes verò tempore, quo ususfr. finitur, ad proprietarium pertinent. *l. 13. Dig. quib. mod. usfr. amitt. & §. is vero 36. Inst. de rer. divis.* Fructuarius omnes fructus tam naturales quam industrielles & civiles, qui occasione rei percipiuntur, ut pensiones ædium, navium &c. suos facit *l. 12. §. 1. Dig. b.t.* Quæstio hic moveri solet. An fructuspendentes finito usufructu ad fructuarium ejusque hæredem pertineant? Et dicimus non pertinere *§. is vero 36. inst. de rer. divis. l. 25. §. præterea de usfr. l. 13. quib. mod. usfr. amitt. Donell. 10. com. 9. Hotom. 2. feud. 28. §. 4.*

X.

Re fructaria, non modo ipse frui potest fructuarius, sed & alteri locare, modo res sit, quæ locari solet, puta fundi usumfr. qui habet, recte eum fundum locat *l. 12. §. 2. l. 27. §. 1. l. 58. in pr. Dig. de usfr. quemadm. §. 1. inst. de usu & habit. l. 19. Dig. de usfris*, potest & vendere usumfructum *l. 66. Dig. quib. mod. usfr. amitt. l. 38. b.t.* donare, gratisque concedere *l. 40. b.t. & §. 1. inst. de usu & habit.* Ut autem commoda sequuntur fructuarium, ita & onera sequi necesse est *l. 10. Dig. de reg. jur.* Stipendia & tributa modica pendere debet, non tamen quæ utumfr. absorbent, ut habet Bartol. *ad l. 30. §. 1. Dig. de legat. 3. l. 52. Dig. de usfr. & quemadm.* Sarta tecta omnia præstat suis sumptibus *l. 7. §. fin. b.t.* Ea quæ vetustate corruere reficere non tenetur, *d. l. 7. §. 7.* uti nec ad eos sumptus, qui ad perpetuam rei utilitatem pertinent. Zoef. *ad tit. de usfr. num. 29.* Arbores in locum demortuarum substituere cogitur, ex seminario, si quod sit *l. agri 18. b.t.* non vero in locum evulsarum vel vento dejectarum *l. arboris 59. b.t.* quia cedunt Domino *l. 7. §. 12. Dig. solut. matrim;* uti & gregem per modum universitatis relictum supplet ex agnatis capitibus, in locum defunctorum *l. 68. §. 2. b.t. & l. vetus in fin. b.t.* Es alienum & legata fructuarium non gravant, quia non sequuntur fundum, sed hære-

INAUGURALIS.

hæredem l. i. §. 16. *Dig. ad SCtum Trebell. Zoef. ad d. tit. de ususfr. num. 30.* An Usufructuarius omnium bonorum teneatur exsolvere æs alienum? magna inter DD. pugna. Negantium tamen castra sequor, quia hæres ante deducit æs alienum, & legata præstat, quod reliquum est, usufructuario tradit. l. 69. *Dig. ad leg. falcid. l. i. §. si hæres 16. ad SCtum Trebell. l. ult. §. fin autem Cod. de bonis qua liber. l. i. Cod. si cert. pet. Gail. 2. obs. 146. fachin. 4. controvers. 19.* Et ideo ad hæredem pertinere extra dubium est d. l. i. Cod. si certum pet. l. 26. *Cod. de pact.* Onera enim hæreditaria ab hærede solvenda sunt, l. 33. *Dig. de legat.* 2., quia hæres in universum jus defuncti succedit, l. 62. *Dig. de reg. jur.*

X I.

Postquam de effectu satis dictum sit, de actionibus, in transitu, quæ in defensionem usufructus fructuario competunt, pauca dicenda. Duæ ergo actiones occasione usufructus proditæ sunt. Actio scil. confessoria & negatoria. §. 2. *Inst. de act.* Confessoria itaque est civilis §. 3. *Inst. de act.* daturque fructuario, vindicanti usumfructum in quo turbatur l. pen. §. ult. *Dig. si ususfruct. pet. vel. ad &c.* In rem l. 5. §. 1. & ult. *Dig. d. tit.* Appellatur & vindicatio l. i. *Dig. si ususfr. pet. l. ult. Dig. de ususfr. accresc.* Recte movetur etiam contra eum qui se liti obtulit, quasi possideat, licet reverâ non possideat, ad hoc ut Judex declareret jus ususfr. agenti competere, adversariumque condemnet, patiatur agentem uti fruire totâ, & in posterum impedire desinat, eoque nomine caveat, ac præterea fructus à se perceptos restituat, damna & interesse resarciat: restituenda enim vincenti omnis causa l. i. §. fructuario *Dig. si ususfr. pet. Zoef. ad h. t. n. 2.* Habenda tamen ratio eo casu præteriorum fructuum d. l. 5. §. si post litem 4. & §. fin., ne quis locupletetur jacturâ alienâ. Contraria seu negatoria, datur domino proprietatis, vindicanti libertatem in quâ turbatur, tendens ad id, ut declaretur libera ab usufructus onere, & caveatur ab adversario, ne in posterum jus

10 DISPUTATIO JURIDICA

istud usurpet, & se turbare desinat, interesse refundat, fructusque perceptos restituat. d. l. 5. §. ult. Dig. si ususfruc. pet. l. 12. Dig. si servit. vindic. Zoes. ad d. tit. num. 3.

X I I.

Contraria sunt modi, quibus ususfructus finitur & extinguitur, & imprimis iisdem, quibus & constituitur l. nihil tam naturale 35. l. fere 135. Dig. de reg. jur. l. quemadmodum. 8. Dig. de acquir. poss. Finitur itaque ususfructus morte naturali fructuarii l. 7. Dig. de act. empt. l. 3. Cod. quib. mod. ususfr. l. 8. Dig. de annuis legat. §. 3. Inst. de ususfr. nam est servitus adhaerens personae l. 32. Dig. de ususfr. & quemad. nec ad hæredes transit l. 3. §. 3. Dig. quib. mod. ususfr. amitt. sed cum personâ extinguitur, nisi tamen aliter expresse actum sit l. 5. Dig. quib. mod. l. 23. de usu vel ususfr. legat. l. 38. §. 12. Dig. de verb. obligat. Civitati aut Municipibus usumfr. relictum placuit centum annos durare, quia is finis vitæ est hominis longævi. l. 8. Dig. de ususfr. legat. l. 56. de ususfr. eod. Sed interim si civitas eversa sit, aut aratum passa, id est solo æquata, quasi morte ususfructum habere desinit. l. 21. Dig. quib. mod. ususfr. amitt. Amittitur & morte civili. scil. maximâ & mediâ capitis diminutione l. 4. Dig. de ususfr. acreſc. §. 3. Inst. de ususfr. Etiam non utendo per modum & tempus à testatore præscriptum, decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes arg. l. 16. §. 1. Cod. quib. mod. &c. l. 13. Cod. de servit. & aquâ.

X I I I.

Uſusfructus insuper amittitur cessione factâ proprietario §. 3. Inst. quib. mod. &c. non item cessione factâ extraneo, quia est jus personale, quod personam non egreditur, & quia cedendo extra-neo

neo nihil agitur dict. §. 3. *Inst.* Consolidatione extinguitur, si fructuarius proprietatem rei fructuariæ acquisierit *l. 7.* & *l. 27.* *Dig.* quib. mod. &c. item inundatione *l. 23.* *Dig.* quib. mod. &c. occupatione hostili *l. 26.* *Dig.* eod. Denique perit rei interitu totali §. 3. *Inst.* quib. mod. &c. nam cum ususfructus sit circa corpus, quo sublato, & ipsum tolli necesse est *Mynsiger.* ad tit. de *usufr.* *l. 2.* *Dig.* quib. mod. & pr. *Inst.* de *usufr.* Hinc domo fructuariâ dirutâ aut collapsâ, ne quidem arenae ususfructus debetur *l. 5.* §. 2. b. t. *Dig.*, quia tantum relatus est ususfructus domus, quæ perii. Si vero pars tantum domus collapsa sit, manet ususfructus in eo quod residuum est *l. 53.* *Dig.* de *usufr.* Sic quotiescumque res mutat formam, ususfructus finitur: veluti si ex domo fiat area, vel ex areâ domus *l. pen.* & ult. *Dig.* *usufr.* quemadmodum amitt. *l. 10.* in pr. *Dig.* si servit. vindic.


X I V.

Fructuarius præstare debet cautionem se usurum, fruiturum boni viri arbitratu, priusquam re fructuariâ uti, frui potest, id est non deteriorem facturum, quam in re sua faceret *l. 1.* §. 3. *Dig.* *usufr.* quemadmodum caveat. & bonum patrem fam. decet d. §. Et cum ususfructus ad eum pertinere desierit, restituturum, quod inde extabit *l. 4.* *Cod.* de *usufr.* Quasi Fructuarius se eandem rem in genere vel ejus estimationem restituturum cavere debet. *l. 7.* *Dig.* de *usufr.* dat. ear. qua usu consum. Et si quis nolit cavere, tamdiu caret servitutis commodo, donec caverit *l. 13.* *Dig.* de *usufr.*, nisi ei remissa sit cautionis præstandæ necessitas, ut patri, in bonis adventitiis filiis familias, usumfructum habenti. *l. ult.* §. 4. *insin.* *Cod.* de *bonis que liber.*

X V.

Coronidis denique loco , ut finiam , discutienda nobilis illa quæstio est . An cautio fructuaria à testatore remitti possit ? Et negantium sententia mihi arridet , propter l. 6. Dig. ut in possess. legat. l. pen. Cod. eod. l. 1. Cod. de usufr. & habit. Ab hærede remitti potest , quia hæc cautio in favorem hæredis introducta est , & quilibet favori suo pro se introducto renunciare potest l. 51. Cod. de Episcop. & Cleric. l. pen. Cod. de patt. Bronch. centu. 1. assert. 89. Sed ne hæc mea disputatio tedium lectori adferat. Plura non addam.

Hem meta & requies nostri per amena laboris !



C O-



COROLLARIA.

I.

Contractus non potest celebrari in testamento.

Filius familias non potest, testari de plenis adventitiis.

Mulier in codicillis testis esse potest.

IV. Cre-

I V.

*Creditor funerarius præfertur omnibus aliis
creditoribus.*

V.


*Matrimonium metu contractum est tpsō
jure nullum.*

AD LECTOREM.

QUandoquidem propemodum de inevitabili necessitate est , ut tractatus quispiam se prelo sine mendis surripiat , nec est quod gloriōr , quibus in hâc disputatione multa menda typographica , ob summam

ac-

aæcelerationem , subterfugerunt , id
vel oculatissimis contingere observo ,
ea ergo benevolus Lector benignè
corrigat . Vale .



coupler. Aste

